Quiten. nullitatis cassationis Capituli.

Em.me & Reu.me Dñe. ANno 1681. mense Iulij fuit celebratum Capitulum Prouinciale Fr.Eremit.Ord.S.Augustini Prouinciæ Quitensis in Indijs Occidentalibus, in quo seruata forma à S. Concilio Tridentino, & à Constitutionibus Ordinis requisita per vota secreta primo loco suffragantibus quadraginta Vocalibus, qui vocem habebant in dicto Capitulo nemine excepto, in Priorem Prouincialem eiusdem Prouinciæ fuit reelectus, seu confirmatus Admodum Reuerendus Pater Magister Petrus Pacheco Prouincialis immediatè absolutus, qui licet contra reelectionem huiusmodi tanquam ab ipsis Constitutionibus,& litteris Apostolicis prohibitam palàm,& publicè alta voce, & solemniter semel, & iterum protestatus fuerit de nullitate, & insteterit ad nouum actum electionis procedi renunciando, quatenus opus esset cuicumque iuri sibi quæsito, eamdemque protestationem renouauerit Regius Senator, qui pro pace tuenda assistebat comitijs. Nihilominus Pater Præsidens asserendo, quod opus non erat ad nouam electionem deuenire, dum reelectio prædicta completa erat de vnanimi totius Prouinciæ consensu Patri Pacheco, vt supra electo adhuc renuenti, & iterum protestanti virtute sanctæ obedientiæ imperauit, vt acceptaret officium, & subitò omnes Vocales à loco surgentes, nulloque modo volentes ad aliam electionem procedere, cantantesque Te Deum laudamus, exierunt à Capitulo, & processionaliter electum duxerunt ad maximam Cappellam Ecclesiæ, vbi omnes obedientiam ei præstiterunt, & à Patre Præsidente in officio fuit confirmatus, moxque eadem die post vesperas Vocales denuò congregati ad electiones Definitorum omnibus etiam suffragijs Canonicè processerunt, qui successiuè, vt moris est, instituerunt in Definitorio Priores Conuentuum, multaque decreta ediderunt pro felici Prouinciæ regimine, vt constat ex publicis actis, quæ dantur integra.

Sed quando per hæc ita concorditer stabilita sperabat Prouincia iustitiam, & pacem mutuò sese esse amplexas, & solidæ eius

A vnita-

vnitati, ac quieti consultum fuisse ob idque Procuratorem suum ad Vrbem destinauisset, qui memoratæ Prioris Prouincialis reelectionis, cæterorumque actuum Capitnli confirmationem à Sedis Apostolicæ benignitate impetraret. Accidit, quod Reu. Pater Magister Ioseph Zuleta Reales Procurator specialis ad hæc constitutus aduersa nauigatione detentus nonnisi post multum temporis cursum ad Oras Hispaniæ potuit appellere, & statim ibi grauissimo morbo correptus cum vitæ discrimine diù ægrotauit.

Quo medio tempore Reuerendissimus Pater Ordinis Generalis aliunde de supradictis electionibus Capitularibus certior factus, quantumuis sciret Procuratorem Prouinciæ, vt dictum est Matriti infirmitate teneri, nihilominus non expectato eo, nec audito, minusque vocato, aut aliter citatis electis pro suis defensionibus ex solo motiuo, quod Ordinis Constitutiones à Summis Pontificibus confirmatæ, reelectiones Priorum Prouincialium prohibeant, nedum hanc nostram Patris Pacheco cassauit, & irritam fecit, sed falsò credens eius vitium ad nullitatem omnium aliarum electionum, & actorum totius Capituli etiam influere hæc omnia, & singula quoque abrogauit, & præterea nouum Priorem, seu Rectorem Prouincialem, nouosque Definitores à quibus pendet institutio Priorum Conuentuum, & consequenter Regimen totius Prouinciæ iure quasi deuoluto ex integro per se ipsum instituit, & litteras prouisionales transmisit cum quibus ab eo nominati, & instituti dubium haud est, quod in suorum officiorum possessionem cum graui scandalo, & maxima Prouinciæ perturbatione sint hodie intrusi.

Quapropter cùm in his omnibus Pater Reuerendissimus Ordinis excessisse credatur vsum legitimum suæ potestatis cum iniuria, & summo Prouinciæ, electorumque grauamine, & eis interfit in sua libertate, & iure quæsito restitui, ne præsertim similia in extensionem illicitam authoritatis Patris Generalis pessimo exemplo trahantur, idcircò Procurator Prouinciæ antedictus à die habitæ notitiæ appellando recursum habet ad Sanctam Sedem Apostolicam, & hanc Sac. Congregationem petendo humiliter, vt preuia manutentione electorum in officijs Prouincialatus, Definitoratuum, & Prioratuum, in quibus singuli respectiuè in dicto Capitulo Prouinciali confirmati, electi, & instituti fuerunt dignentur Eminentiæ VV.

pro

pro iustitia respondere, electiones in dicto Capitulo fuisse, & esse canonicas, & cassationes earum, nouasque prouisiones, & institutiones Reuerendissimi Patris Generalis cum inde secutis non substineri.

Quippe cùm ritè, & rectè Capitulum supradictum conuocatum extiterit, & per vota secreta seruata forma à Sacro Concilio Tridentino, & à Constitutionibus Ordinis requisita, electiones in eo celebratæ, & successiuè electi per Præsidentem in suis officijs confirmati, eorumque possessionem adepti fuerint, vt patet ex actis, non poterat Pater Reuerendissimus Generalis has electiones cassando electos iure quæsito, & possessione adepta priuare sine ordine, & tela iudicij, citando Procuratorem ab eis constitutum, & illum audiendo in suis defensionibus, quod cùm ab eodem Patre Generali adimpletum non fuerit ex illius facto nullo, spoliatiuo, & iniusto non remanserunt electi priuati sua possessione, debentque ante omnem discussionem auctoritate Iudicis superioris in illa manuteneri, vt punctualiter pleno calamo docent, *Monald. cons.*104.*n.*22. *& seqq. lib.*2. *Valenz. cons.*44. *à num.*1. *vsque ad* 10. *lib.* 1. *Barbos. voto decis.*97. *num.*2. & infra, *& num.*77. *& seqq. lib.*3. qui loquitur in specie de electione Prouincialis Prouinciæ Bethicæ cassata à Patre Generali nostri Ordinis Sancti Augustini, *Lezana post summam verb. relectio num.*23. *& seqq. Rota decis.*6. *& decis.*13. *per totas coram Royas*.

In nihilo refragante, quod Pater Reuerendissimus Generalis processerit ad cassationem Capituli extraiudicialiter negando confirmationem, non in forma iudicij, quo casu non tenebatur citare electos, & Iudicis partes assumere. Quoniam id non procedit, primò in Generali Ordinis S. Augustini, qui ex Constitutione prima Iulij Tertij in Bullario Ordinis, *Summ. num.*1. est obligatus causam denegationis exprimere, nam ita tenetur per viam iudicij procedere, vt punctualiter aduertit, *Barbos. in dicto voto* 97. *num.*81. Secundò, quia cassatio electionis Prioris Prouincialis totius Capituli facta non fuit ex aliquo defectu formæ in electione à iure, & à Constitutionibus requisitæ, sed propter incapacitatem, & vitium dumtaxat Personæ Prouincialis reeligi prohibitæ, quo casu semper est procedendum cum ordine, & tela iudicij, debetque electus audiri, & citari ob graue præiudicium, quod illi infertur, vt probat Frater Petrus Maria, *Passerin. de electione canonica capit.*33. *num.*152. *& sequen.* Cuius testimonio nedum ob pie-

 tatis

tatis, & doctrinæ excellentiam, sed multo magis, quia in hac materia ratione sui officij fuit versatissimus, multum est deferendum, nosque ideò solam illius authoritatem vt plurimum contenti erimus infra allegare. Et tertiò denique, quia contraria procedunt in denegatione confirmationis re integra priusquam electi in suis officijs sint confirmati, & possessionem eorum appræhenderint, nam post confirmationem, & possessionem quales sunt, termini casus nostri superiori non licet ad cassationem,& irritationem electionum procedere eis non citatis,vt præ cęteris distinguit, *Capon. discept.*261.*nu.*33. *cum seqq.* & rursus *num.*81. *& infra*.

Etiamsi opponeretur vitium esse notorium, & ex actis ipsis insurgere, & propterea cum electo nulla defensio competeret, potuerit eius electio cassari sine aliqua citatione, maximè quia si citari debuisset impossibile moraliter esset negocium expedire confirmationis, seu infirmationis, cùm antequam ex Indijs ad Vrbem citatio executa reproducatur, tempus decurreret, & præteriret officij Prouincialatus, & per consequens cassatio electionis ad nihil postea inseruiret, vt in proposito argumentatur, *Passerin. d. cap.*33.*sub num.*151. *versic. Præterea secundo probatur*.

Quandoquidem licet electio Prioris Prouincialis negari non possit, quod facta fuerit contra expressum tenorem Constitutionum, non tamen sequitur, quod nulla extiterit ipso iure, & quod iura, & rationes electo non suppetant ad petendam eiusdem confirmationem, vt infra apparebit: ac rursus quando etiam fuisset inualida electio Prioris Prouincialis, eique nullæ competerent defensiones ad substinendam suam electionem, non sequitur tamen, quod nullę etiam fuerint cæteræ omnes electiones Definitorum, & Priorum Conuentuum in eodem Capitulo celebratæ, vt infra ostendemus. Quapropter cùm ex vnico, & solo vitio reelectionis Prouincialis Pater Reuerendissimus Ordinis non solùm cassauerit ipsius electionem, sed etiam alias omnes, in quibus iste defectus non concurrebat, vtì ex peccato originali traduces, vtique processus hic repugnans est omni iuri communi scilicet naturali, & diuino, quæ abhorrent aliquem condemnari inauditum etiamsi procedendo cum ordine iuris inutile postea redderetur iudicium, quia tempus decurreret officio præfixum, & electus interim eo gauderet in iuris contemptum, quia si peccandum est

est, melius est peccare tolerando non benè electum, & in officio intrusum in sua quasi possessione manere, quam electionem cassando à iure suo non discusso negocio, & sine citatione eum de facto spoliare, vt punctualiter ad obiectum respondit, *Passeлin. eodem cap. 33. sub num.* 164.

Præterquamquod in casu nostro cessat omnis dubietas, quia citatio non erat in Indijs exequenda, sed in Hispania, vbi Prouinciæ Procurator stabat infirmus, & breui duorum tantùm mensium curriculo haberi poterat, nam sanè quando etiam aliter iustitiæ rigor dictasset, durissimum est audire, quod Pater Generalis voluerit cum tanta iniuria Prouinciæ integrum extra iudicium cassare Capitulum priuatis informationibus non expectato per tam breue tempus, nec audito Procuratore, qui per tot marium spatia, longaque itinera maximo suæ vitæ periculo Europam tenuit hoc solo fine vt ipsum Patrem Generalem de causis validitatis, & confirmationis eiusdem Capituli instructum redderet nam æquitas, & iustitia in his terminis suggerebant, vt Procurator infirmus, qui accedere ad Vrbem nequibat, & non dolo, nec fraude, sed pura necessitate iudicium differre erat coactus expectari, & audiri debuisset, nedum pro grauitate negocij, & in honorem Prouinciæ à quo missus erat, sed etiam in sui laboris solatium & leuamentum. Factumque ostendit, quod si Reuerendissimus Pater tantisper, vt tenebatur iudicium substinuisset, & præcipitem sollicitatus non tulisset sententiam vtique ex asserendis per iustitiam quam cordi eius affixam semper esse cognouimus non sic pronunciasset.

Enim verò vitium vnicum per quod Capitulum fuit ab ipso cassatum, scilicet reelectio immediata Prioris Prouincialis contra expressam prohibitionem Constitutionis *par. 3. capit.* 2. §. 8. de qua *in Summario numer.* 2. non erat, nec est tantæ virtutis, vt impedire potuerit confirmationem electionis, quando hæc etiam fuisset inualida, multoque minus suam efficaciam extendere ad annullandas etiam cæteras electiones canonicas vitio huiusmodi non subiectas, & operandum quod ius instituendi Prælatos esset ad Patrem Reuerendissimum Ordinis deuolutum.

Quoniam Constitutio licet in ordine reelectiones, & con-

firmationes prohibeat, vt supra dictum est. Idemque mandent litteræ Martini V. Constitutione 2. & Nicolai etiam V. pariter Constitutione 2. in Bullario ipsius Ordinis *Summar. num.* 3. Attamen hæc prohibitio, quia simplex est sine Decreto irritante, vt lectura demonstrat non operatur, vt actus nullus sit ipso Iure si fieri quandoque contingat aduersus legis eiusdem prohibitionem cum ad effectum irritationis satis non sit, quod lex reelectionem simpliciter interdicat, nisi coniunctim expresse eam nullam esse decernat, atque declaret, vt per sententiam communem fusè probat *Passerin. de elect. cap. 9. num. 1. & sequen. toto quæsito primo*. Indèque vbi ipsa lex voluit, quod in officio Generalatus reelectio inualida existeret, non fuit contenta simpliciter eam prohibere sub dura etiam pœna excommunicationis, sed prohibitioni coniunxit Decretum irritans expresse mandando aliter factas electiones, & confirmationes nullas, & irritas esse, & fore vt constat ex *Constitutione 2. Sixti V. §. 4. in dicto Bullario Summario num.4.*

Quapropter cum ad terminos Constitutionum reelectio Prouincialis in nostro Capitulo nulla non fuerit ipso Iure, & causæ impulsiuæ concurrant pro necessaria canonica eiusdem confirmatione Pater Reuerendissimus Ordinis licet per se reelectio inualida esset, non debuit ex hoc solo defectu ad illius cassationem procedere, quia cum talis defectus non sit criminosus, nec formam electionis substantialem respiciat, sed à legali dumtaxat impedimento per strictam Iuris censuram descendat, erat sua natura sanabilis per recursum ad hanc S.Congregationem, quæ similes rigorosas nullitates non solet attendere, sed semper ex stylo benignè reualidat, vt pluries insinuat *bo.me.Card.de Luca de regular.disc. 1.num.94.& 95.disc.3.num.5.disc.11.num.12. & disc.53. n.4.* & in indiuidualibus terminis reelectionis prohibitæ *in annotat.ad S.Conc.Trid.disc.37.num.19.*

Præsertim attentis circumstantijs facti, quæ reualidationem huiusmodi omninò exposcunt, quandoquidem aduertendum est primo loco, quod dicta reelectio fuit celebrata ab omnibus Electoribus, nemine reluctante per vota secreta, vt ex actis littera I. & rursus in fine eorum litt.CC.& sic per quasi inspirationem de totius Prouinciæ consensu. Vnde quicquid esset

esset dicendum si aliquis electorum contradixisset, in quibus terminis locum haberet Constitutio, licet reelectio maiori parte votorum esset peracta; vtique dum è contra omnibus votis celebrata comperitur à dicta Constitutione exceptuata intelligitur, quia cum Constitutio recipiat intelligentiam passiuam à Iure communi, & in Iure iste casus sit specialiter Priuilegiatus. Sequitur in consequentiam, quod sub expressa iuris ipsius limitatione remaneat, & sub regula generaliter prohibitiua Constitutionis venire non possit, vt ad litteram decidit *Textus in §.final. vers. Si vero auth. de Defensor.Ciuit. sequenti Sanctione*, ibi: *Si verò nondum biennium impleuerint digni, vero videantur communicare circulo impleant reliquum tempus, vltra quod nullus Ciuitatem defendat: sed vsque ad hoc solum stet tempus, nisi cum Ciuitas reluctante nullo elegerit eum, & hoc facto alio biennio suscipiat sollicitudinem, & modis omnibus deponatur, & tunc rursus fiat quando ipse eum circulus ad huc adduxerit ordinem, ne frequentia ordinationis, & continuatione curæ, & per quandam machinationem illud semper renouando fiat aliquibus infinita prædicta gubernatio*, & in terminis præcisis reelectionis prohibitæ inter regulares, quod teneat si fiat omnium electorum suffragijs fundat *Sigismun. à Bononia de elect.par.3. dub.*103. & sequuntur *Lauor.var. Lucubrat. tom.*1*.lib.*4*.de elect.Canonica cap.*23*.num.*8. *Passerin. de elect. cap.*35*.num.*22.

Secundo loco est etiam ponderandum, quod finis legis in prohibendo istas reelectiones alius non est, nisi excludendi ambitionem vt specialiter declarat *Constitutio* 2. *Martini V. in Bullario ordinis* §.2*.Summ.num.*3*.litt.A.* & propterea quando reelectio fit non ex electi ambitione, sed promouetur ab electoribus pro bono Prouinciæ regimine cessante fine legis per quem fuit actus prohibitus, debet cessare etiam legis ipsius dispositio ex vulgatis.

Quod autem nostræ reelectioni causam non dederit electi ambitus ostendunt acta Capituli, dum ex eis constat, quod publicata reelectione, electus contra eam publicè, & alta voce de nullitate potestatus fuit *litt. K.* institit, quod ad nouam electionem canonicam procederetur *litt.L.* renunciando propterea cuicumque Iuri ipsi quæsito *litt. M.* & ad declarationem Præsidentis dicentis non esse deueniendum ad aliam electionem stante quod reelectio omnium suffragijs completa ma-

ta maneret *litt.O.* non acquieuit, sed iterum contradixit *litt.P.* donec per positiuum præceptum in virtute sanctæ obedientiæ *litt. Q.* conspirantibus etiam in id omnibus Electoribus, qui surgendo à sedibus suis declarauerunt non velle ad aliam electionem deuenire *litt.R.* compulsus fuit ad acceptandum officium. Nam hæc omnia, & singula, quæ formalem electi dissensum important ostendunt etiam patenter, quod reelectio per ambitionem procurata non fuerit, sed imò per quasi inspirationem peracta extiterit, qui modus eligendi subiectus non est regulis, & ordinationibus, cum omnis ordo, & eligendi forma à Spiritu Sancto, qui ad huiusmodi electionem mouet suppleatur, vt habetur ex *Constitutionibus Ordinis par. 3. cap. 2. §. 11.*

Sed quando his non obstantibus reelectio nostri Prouincialis cassanda quoque fuisset propter Constitutionis obstaculum, cur quæso dicta cassatio extensa etiam fuit ad cæteras electiones Definitorum, & Priorum Conuentuum nullum habentes vitium, quæ singula de per se Canonicè celebratæ fuerunt, vt ex ijsdem actis *litt.T.* & sub tota *litt.BB.* ac à reelectione Prouincialis aliquam non habent dependentiam?

Si enim fortè dicitur, quod Pater Generalis cassauit totum Capitulum, quia Prouincialis malè electus in omnibus sequentibus electionibus suffragauit tripliciter respondetur.

Primò, quod dictus Prouincialis si non tanquam electus saltim, vt absolutus tam in Capitulo, quam in Definitorio in cunctis electionibus habebat suffragium sic ordinantibus Constitutionibus *3. parte cap. 7. num. 5. de modo eligendi Diffinitores Summ. num. 4.* Ideoque ex illius voto legitimo, & necessario electiones annullari non poterant.

Secundò, quod singulæ electiones prædictæ celebratæ fuerunt Vocalibus omnibus consentientibus, vt de Diffinitoribus constat ex actis *litt. I.* & de Prioribus *litt. BB.* Nam consequenter cum etiam sine voce præfati Prouincialis suum habuissent effectum per maioritatem votorum suffragium illius etiam vti extranei, seu inhabilis ad votandum admissi electiones ipsas irritare non poterat, cum ad istum effectum requireretur, vt electio ex vi illius voti completa fuisset *Passerin. de elect. cap. 13. num. 41. & cap. 15. num. 24.*

Tertio denique, quia, vt supra insinuatum est nostra reelectio propter obstaculum Constitutionis non fuit nulla ipso Iure,

sed

ſed annullanda, & ſicut caſſari, ita etiam à Superiori confirmari potuiſſet, in tantum, quod neqne eſſet in poteſtate electorum detecta nullitate in publicatione Scrutinij ad aliud Scrutinium, & nouam electiouem procedere, vt inquit *Paſſerin. de elect. cap.* 18. *num.* 40. Nam ex his ſequitur, quod interim in foro fori electio tenuit fuitque in ſtatu implicito validitatis, & potuit electus officium ſibi delatum liberè administrare, nec debuit ab eiuſdem adminiſtratione abſtinere, donec in foro externo ſententia mediante eius electio nulla ſit declarata ex deductis *à Boſſ. in Moral. tom.* 3. *tit.* 15. *nu.* 158. *Paſſerin. de elect. cap.* 9. *num.* 33. *&* 34.

Nec iuuat ſi diceretur, quod dum peccauit totum Capitulum contra Conſtitutionem promouendo ad Prouincialatum inhabilem, & ineligibilem eius acta vti facta à voce priuatis caſſari debeant ex integro.

Quoniam, vel prætenditur iſtud deduci vigore Conſtitutionum, vel Canonum, ſi vigore Conſtitutionum aſſignandus eſt prius locus ad hæc vſque tempora nobis incognitus, in quo caſſatio huiuſmodi, & vocis priuatio, iſto caſu ordinetur, nam cum vtraque ſit pœna debet à Iure expreſsè eſſe impoſita *Barboſ. axiomate* 181. *num.* 7.

Si autem vigore Canonum ſupplicatur aduertere, quod licet multæ ſint Decretales, quæ Electoribus malè eligentibus pœnam priuationis vocis imponunt, nulla tamen earum loquitur in terminis noſtris eligentium inhabilem, ſed eligentium tantum indignum, vt recenſitis omnibus eis Decretalibus optimè oſtendit *Paſſerin. in ſæpè citato tractatu de elect. cap.* 29. *num.* 91. *& ſeq. per totum quæſitum* 11. qui vlterius ibi *num.* 96. probat nec dictos Canones locum habere in electionibus Regularium, quia loquuntur tantum de Clericis, quorum nomine in odioſis regulares non veniunt, & *num.* 97. firmat minùs comprehendere quemcumque indignum, ſed ſolum eum, qui talis ſit vel ex defectu natalium, vel ætatis, vel ſcientiæ, vel morum. Itaut ſi eligatur, qui alium defectum patiatur, eligentes pœnam dd. capitum non incurrunt, vt rurſus etiam inſinuat *cap.* 31. *num.* 25. *& num.* 38.

Quapropter cum nos verſemur in ſingulis iſtis limitationibus, & ex deductis pateat Canones loqui in terminis longè diuerſis, non poſſunt trahi ad caſum noſtrum per regulam generalem, quod pœnæ reſtringi debeant non ampliari, & præ-

cisè,

cisè, quod eligentes inhabilem, & ineligibilem non sint priuati electione, nec voce, & pœnas supradictorum Canonum non incurrant ex rationibus allegatis concludit *Passerin. in loco citato num.99.& 101.*

Et hinc descendit tertium grauamen à Patre Reuerendissimo Generali illatum Prouinciæ instituendi scil. auctoritate propria nouum Rectorem Prouincialem, & nouos Definitores, quia cum hoc agere non potuerit, nisi Iure deuolutionis, & deuolutio isto casu nec à Constitutionibus ordinis, nec à Sacris Canonibus ei deferatur vtique quando etiam Capitulum annullandum fuisset, non poterat per se ipsum alios electos nominare, & super inducere, sed tenebatur ad eligentes ex integro remittere electionem, vt articulo plenè discusso probat idem *Passerin.de elect.alleg.cap.31.num.16.& 22. cum duobus seq.*

Nec obstat si exaduerso opponatur, quod idem sit nulliter eligere, & non eligere, & sic electio, quæ nulla fuit, non sit habenda pro electione, & consequenter tanquam non facta infra terminum præfixum à Constitutionibus sit deuoluta ad Patrem Reuerendissimum Generalem, quia obiectum non currit. Nam cum à Capitulo electio verè, & realitèr facta fuerit intra terminum Iuris, non inde, quod postea electio inualida reperiatur, haberi debet pro non electione, & deuoluitur ad Superiorem cum pœna deuolutionis imposita sit contra negligentes in eligendo, non contra eligentes, defectuosè. Ideoque si electio, quæ facta est ex aliquo vitio, seu nullitate cassari contingit, non ideo ad Superiorem deuoluit, sed redit iterum ad eligentes, vt respondendo obiectioni firmat noster *Passerin.de elect.cap.13.num.38.& seq.per tot. quæsitum 6.præsertim num.40. cum duobus seq.*

Cæterùm, quod summè dolet, & supplicantur Eminentissimi Domini benignè ponderare est, quod hodie Prouincia per cassationem dicti Capituli, & Institutiones Reuerendissimi Patris Ordinis in vnius solius hominis moderni scilicet Rectoris Prouincialis potestate miserabiliter est constituta, nam nedum de præsenti tota Prouincia ab eius Imperio dominatur quoniam Definitores, & Priores Conuentuum à sola sua voluntate dependent, sed etiam dominabitur in futurum, dum tam Visitator, quam futuri Capituli Præsidens sunt in officijs eo procurante instituti, & consequenter futurum

quoque

quoque Capitulum, & electiones in eo celebrandæ à solo nutu eiusdem moderni Prouincialis regulabuntur, quod si expediat bono Prouinciæ regimini, & libertati electionum à Sac. Canonibus, & ordinis Constitutionibus ardenter adeò concupitæ iudicent Eminentissimi Patres, & si absurdum inuenerint secundum eorum prudentiam, & innatam Iustitiam prouideant.

Quare &c.

Petrus Antonius Maronius.

Sacrę Congreg. Episcoporum, & Regularium.

Eminentissimo, & Reuerendissimo D.

CARD. S. CECILIÆ

Quiten. nullitatis cassationis Capituli.

P R O

Prouincia Quitensi, & electis in illius Capitulo Prouinciali,

C O N T R A

Admodum R. P. Magistrum Procuratorem Generalem Ordinis S. Augustini, & alios quoscumque.

Facti.

ROMÆ, Typis Reu. Cameræ Apost. 1684.

Superiorum permissu.